

14.785

R. 25.853

245/11/2017

Foll. 21-22

ORATIO

CORAM CLARISSIMIS

ET ORNATISSIMIS VIRIS

RECTORE AC DOCTORIBUS

IN APERTIONE

GYMNASII COMPOSTELLANI,

RECITATA

DIE 18. OCTOBRIS ANNI DÑI. 1828.

A D. D. VINCENTIO RET,

LITTERARUM HUMANARUM PROFESSORE.

TYPIS D. JOANNIS FRANCISCI MONTERO.

UNIVERSIT. SENAT.QUE COMPOST. TYPOGR.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE SANTIAGO



00240939

*Universus hic mundus una civitas communis
hominum existimanda.* Cic. de leg. lib. I.

2. editio Matakii

Superiores nostros Deus equidem constituit Reges, Omnipotentis in terra vicegerentes, ejusque auctoritatis custodes et dispensatores, obsequia eis tributa, jura possidentia ita à Providentia, ut qui potestati resistit, Dei ordinationi resistat. Sed praeter hunc supremum aliis à divina ratione est provisus ordo, quo quidem nec à Patre, nec à divitiis, nec ab auctoritate et dignitatibus à merito solum distinctio est. Dominantium Dominus diversè hominibus indulxit talenta, et sapientium unione haud dubie voluit efformaretur imperium, quod omnia complectatur saecula, nationes omnes absque aetatis, sexus et nobilitatis differentia: in hoc enim et ignobilis nobilis reperitur aequalis, subditus Principi, et hujus ille forsam Princeps.

4

At ut in hoc praestantiori imperio dignus quisque cives, comes aut potius filius Minervae habeatur, stricto vinculo consocios à Providentia in communis utilitatis bonum praeordinatos amore prosequi non deditetur, veraque alterius fama, propriissimum meritum non invideatur, quo nihil pestilentius est execrandum. ¶ Cur aliena minus videnda quam nostra? Quare nemo ab invidis intactus? ¶ Est ne aliquis ita numeris omnibus absolutus, quin adversus eum ex Zoili secta aliqui insurgant? Solonem stultitiae, Herculem ignaviae, Piladem perfidiae nonnulli insimularunt: Aristotelem totius peripateticae disciplinae principem, obscuritatis notant: Homerum quandoque dormitasse, Horatius scribit: Plinium turbido flumini quasi multa degustarit, pauca digesserit, assimilant. Nec etiam per celebres illi legum Romanarum peritissimi aemulorum censuram, dentemque teoninum effugere potuerunt, et li-

cet nihil Ulpiano eloquentius, Papiniano acutius, Cajo fluentius, Pompejo jucundius, Celso nitidius pene fuerit, nullus tamen tan felix, ut obtrectarorum linguas, improbamque invidiam evadere potuerit: sunt revera homines qui meliores malint obtrectare, quam vel vestigio tenus sequi, qui si virtute satis valerent, magis aemuli bonorum quam invidi essent, sed quia desidia, atque incuria, et stupor eos atque torpedo invasit, strepunt, obtrectant et alienam famam suum dedecus existimant.

¶ Cur in illorum mentem non venit, quae ad ingenii acumen, quae ad mores, quae ad bonos cives, ad Magistratus et ad Principes nobis illi tradiderunt? Haec sane solida et permanentia beneficia sunt, quae ab origine incrementum accipiunt, quae omnia complectuntur saecula, nationes omnes, homines, nullo excepto, quaeque à generatione in generationem perpetuo sunt duratura.

Omni in tempore, Doctores, omnibus in nationibus extiterunt litteris dediti homines, scientias usque in senectutem indeffesso labore colentes: Egiciaci Sacerdotes, Magi Persiani, in Babilonia Caldei, Bracmanes inter Indos, inter Galos Druidae, Graecia per plura saecula enutravit sapientum multitudinem, veritatisque inquisitione plurimi Patriam desserebant in scientiarum exercitatione vitam agentes. Quam grata perutilisque esset Romano-rum conversatio, dum mutuo charitatis pignore Cicero, Cota, Caesar, Pompejus, Cato, Brufus, Aticus, Varro et alii judicabant! Quae res tam praeclara, si suam sapientes agnoscant gloriam, illos esse Dei Ministros et Providentiae cooperatores in hoc quod in homine optimum est? ratio. Unusquisque propterea suum tenere debet locum, omnesque licet differenti splendore et lumine lucere debent, sicut stellae quae dederunt lumen in custodiis suis, et

laetatae sunt, vocatae sunt, et dixerunt,
adsumus, et luxerunt ei cum jucunditate
qui fecit illas. Sic nostris utentes facultatibus, sic
sapientia polentes, sic virtutibus praediti
esse debemus, ut in judiciis, in conciliis,
in concionibus, in omni denique officio
finem dignum et optimo viro, et opere
sanctissimo faciamus; et veluti Gubernator
littora et portus, et quae tempestatum sig-
na, quid secundis flatibus, quid adversis
poscat velis, docere debemus; non amore
solum operis, sed ut humanitatis communi-
ducamur officio. ¶ Quis tam beatum credi
oporteat fore, cum sentiat vivus eam quae
post fata praestari magis solet veneratio-
nem, et quid apud posteros futurus sit
viderit? ¶ An majores nostri parum in vita
dignitatis habuerunt, parum ad posteros
gloriae tradiderunt? ¶ An cum statuas et
imagines, non animorum simulacra, sed
corporum studiosi multi reliquerint, con-

siliorum ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus summis ingenii expressam et expolitam?

Scientiarum dignitas, qua nihil Deus hominibus tradidit optimum, et quibus remotis muta sunt omnia, et luce praesenti, et posteritatis utilitate toto animo petamus, nitamurque semper ad optima, quod facientes, aut evademus in summa, aut certe multos infra nos videbimus. Nec ad id pervenire natura humani ingenii prohibet; quod si non contingat, altius tamen ibunt qui ad summa nitentur, quam qui prae sumpta desperatione quo velint evadendi, protinus circa ima substiterint. Natura enim ad mentem optimam nos genuit, adeoque discere meliora volentibus promptum est; nec deficit tempus, abunde multos ad descendum annos habemus. Quantulum enim studiis impertimur? alias horas vanus sicutandi labor, alias datum fabulis otium, alias spectacula, alias convivia trahunt,

adijciam tot genera ludendi, et insanam corporis curam. Quae omnia, si studiis impenderentur, iam nobis longa aetas, et abunde satis ad discendum spatia viderentur, et diurna tantum computantibus tempora, et noctes, quarum bona pars omni somno longior est, adjuvarent. ¶ Quae enim pars digna litteris Platoni defuit? ¶ Quot saeculis Aristoteles didicit, ut non solum quae ad philosophos atque oratores pertinent scientia complecteretur, sed animalium, satorumque naturas perquireret? ¶ Quo dicendi instrumento Marcus Tullius caruit? ¶ Quam multa, imo pene omnia Ecclesiae Patres, et Graeci et Latini optimae notae abdita venerandae antiquitatis monumenta, humanae et divinae scientiae peritiam, dictionis gravitatem, fidem narrationis et selectionis judicium nobis reliquerunt? Maximus vero studiorum fructus, et veluti praemium quoddam amplissimum longi laboris. Tot nos praceptoribus, tot

exemplis instruxit antiquitas, ut possit vi-
deri nulla sorte nascendi aetas felicior
quam nostra, cui docendae priores elab-
oraberunt.

At perficere tantum opus arduum est,
et nemo perfecit. Ad studiorum exhorta-
tionem sufficit non capere id rerum natu-
ram, ut quidquid non est factum, ne fieri
quidem possit, cum omnia quae magna
sunt atque mirabilia, tempus quo primum
efficerentur, habuerint. & Nec enim signis
Achilis gloriam in bellicis consequi non
potest, Ayacis aut Diomedis laudem asper-
nabitur? Si hanc cogitationem homines
habuissent, ut nemo se meliorem fore ar-
bitraretur, ii ipsi qui sunt optimi, non
fuissent. At si transeundi spes non sit,
magna tamen est dignitas subsequendi,
cum pulchrum admodum sit in secundis
tertiisque consistere, quod qui non erit
consecutus, mea quidem sententia, civili-
bus officiis renunciabit, vix enim bonae

fidei viro convenit auxilium in publicum polliceri, quod in praesentissimis quibusdam periculis desit ~~et~~ ut indicare portum, ad quem navis accedere, nisi lenibus ventis vecta, poterit? Qui vero egrediuntur e portu, eos aptatis satis armamentis ageret ventus, deinde paulatim simul eentes appetabunt vela, et disponent rudentes, et implere sinus non dubitandum. Hoc et maiores nostri, amoreque litterarum flagrantes et omnium hominum utilitate sapientiae praecepta nobis tradiderunt, et ut praeceperunt, ita vixerunt.

Munus est hoc nostrum, Doctores, ab oculis non recedat nostris, quoniam non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partim patria vindicat, partim parentes, partim amici, hominesque hominum causa generati sunt, ut ipsi inter se alius alii prodesse possint: Sic discipuli Magistros, non minus quam ipsa studia amabunt: sic libenter vos audient, et dic-

tis credent; et vobis esse similes concupiscent: sic in ipsos coetus scholarum laeti et alecres convenient: sic emendati non irascentur, laudati gaudebunt, ut sint carissimi studio merebuntur: sic coalescent, ut una sit stricta et sociata tradentis accipientisque concordia. O vos felices quibus et tam sublimem finem exequi incumbit!

In deliciis sint vobis etiam illae tam innocentes scientiae, quae si pacifcae, honorant, et humanam solantur naturam, et elaborantes, ut rationis via, confussio-
nis aspernetur imperium, Regis potentissimi, patriae nostrae verè patris FERDINANDI SEPTIMI virtutem tamquam in extersissimo quodam speculo inspiciamus. Norunt omnes, qui mitissimo ejus imperio reguntur, et quibus foetidae harpiae nuper obortae (aut tristius numquam monstrum, aut saevior pestis ab usque orbe condito sese stigiis extulit impurissimis undis),

obscurare, vel inquinare non potuerunt; quanta cura litterarum, omniumque scientiarum et artium studia in regnis suis provehat: quam indefesso labore et studio id agat, ut scholae emendentur, nihilque quod prudentia suadeat, salusque populi exigat, praetermitatur, unde jam nunc plurimos, et in posterum ubiores fructus percipi non dubitandum.

¡Ó dies felices cum videantur! ¡ó plenitudinis et gloriae dies! Beati qui frumentur, et hujus apertio[n]em in annorum circulo celebrare potentes, laudis et gratitudinis cantica optimi Regis ~~per~~ posteri concinantes, honorabile nomen Ministri Scientiarum fructus promoventis, semper terna etiam benevolentia colentes, a generatione in generationem ejus pergrata memoria usque ad ultimam non deleri exoremus.

Litteris enim operam date, utiles quaerite veritates, omnia talenta, vestram

14

sapientiam Reipublicae bono , totiusque
generis humani solatio consecrate: sic vo-
bis erunt magna omnia, sublimia, jucun-
da. Suprema haec perseverantibus studiis,
hinc fructus et jucundissima bona sponte
proveniunt.

DIXI.

